

E VICE-PROVINCIA SURINAMENSI

Redemptoristarum pro leprosis cura.

(*Pars reliqua.*) (1)

Commentatio haec valde incompleta maneret, nisi etiam piae Patris *Lemmens* (*fig. 3*) memoriae paginam aliquam dedicaremus. Vix enim cedit clarissimo e Picdusiana familia viro, R. P. *Damiano De Veuster*. At cum huius herois fama universum mundum pervaserit, et merito quidem, confratre noster oblivione velut obrutus iacet.

Felix Lemmens natus est Mosaetraiecti (*Maastricht*), in Hollandiae oppido antiquissimo, d. 28 Iul. 1850. Militiam cum elegisset, a. 1879 ut militum praefectus (*lieutenant*) in Surinamensem coloniam venit. Ibi tantam cum Patribus nostris amicitiam init, ut collegae ei dicerent: « In eligendo vitae statu, Lemmens, errasti; nam clericatui destinatus fuisse videris. »

Revera Lemmens, inito consilio cum Vicario Apostolico, Illmo D. Schaap, C. SS. R., a. 1882 in Hollandiam rediit, et Buscoduci apud S. Alphonsi filios religiosae



FIG. 1. — Ven. Servus Dei P. Petrus Donders.
(Cf. *Analecta VIII*, 272.)

(1) Vide *Analecta* h. a., num. 5, pag. 272 sqq.

vitae tirocinium ingressus est. Ut omnium, qui aderant, animi commoti sunt, videntes virum 32 annorum, decora veste militari ecclesiam ingredientem et paulo post eundem humili Redemptoristae veste indutum! Pressius igitur secutus erat vestigia S. Patris Alphonsi, quippe qui ensem ante Deiparae aram deposuerit. Anno 1883, festo Virginis Immaculatae, perpetua vota emisit, et absolutis Wittemii studiis a. 1888 in Surinamiam qua missionarius revertit.



FIG. 2. — Illmus D. Gul. Wulfinh,
C. SS. R.

(Cf. *Analecta VIII*, 273.)

fere servitia praestare coepit, quae Ven. S. D. Petrus Donders Bataviae. Licet non habitaret in ipsa insula, tamen saepe saepius eo accessit, atque ut Samaritanus misericors et corporis et animi vulnera curabat. Post ali- quod tempus male se habere coepit; sed cum in statione Albina decum- bebat, primo lepram nemo suspicabatur, donec morbi indoles clarius ap- pareret.

Voluntati Dei plane se subiiciens P. Lemmens d. 20 Oct. 1902 sponte abiit in exsilium, in leprosorum asylum *Majella*. Ibi cum paulo ante sa- cellum novum finitum esset, P. Lemmens velut iocando ceteris leprosis

(1) Cf. *Ecli.* 45, 1.

Ibi in variis stationibus sacro suo munere functus est, *dilectus Deo et hominibus* (1). Illmus D. Wulfinh, cum a. 1895 leprosis novum asylum *Majella* aperiret, bonum P. Lemmens eo vocavit, miserrimis istis ave dictum, et 7 anni vix effluxerant, cum idem Pater eodem pro semper rediit, ipse quoque lepra infectus. Unde taetrum mor- bum contraxerat? Quondam P. Lem- mens ad *Marouyne* fluvium venit, ubi in quadam fluminis insula ho- mines repperit ut vel maxime omni ope destitutos. Etenim quotquot ex criminosis in gallicam coloniam *Cayenne* deportatis lepra tacti e- rant, mox in istam insulam relega- bantur, nulla alia cura accepta nisi quod singulis hebdomadibus aliquid victus recipiebant, ne fame interi- rent. Christiana caritate motus P. Lemmens his infelicissimis eadem

dixit: « Ubi ecclesia, ibi etiam sacerdote opus est. Ecce, quem Deus misserit novum novae domus suae ministrum! Exinde diu noctuque vobis, dilecti fratres, praesto ero. »

Ita per 4 annos leprosus inter leprosos vixit, sacro interim sacerdotis munere diligenter in ceterorum commodum fungens, at simul musica, fabulis dramaticis, canticis similibusque rebus « filiolos » suos carissimos



a. 1882

a. 1883

FIG. 3. — R. P. Felix Lemmens.

oblectans. Ineunte Septembri 1906 in febrim incidit, et cum alii de gravi periculo nondum cogitarent, ipse mortem, tantorum malorum liberatricem, vicinam esse cognoscebat. Die 17 Sept. morientium sacramenta recepit, et postridie ad meliorem vitam evolavit, caritatis christianaे vere victima. In tabernaculi ostiolo iam antea verba pinxerat: *Pater, in manus tuas commendō spiritum meum!*

Aliorum quoque virorum nomina honoris causa hic commemorare decet. Qui Rm̄o D. Wulfingh in Vicarii Apostolici munere successerunt, Illm̄i DD. F. Meeuwissen et Th. van Roosmalen, etiam illius in leprosos amorem hereditati sunt. Plurimum pecuniae et curarum insumpserunt, ut asylum *Majella* quandam formam ac speciem talis instituti efficerent. (1)

(1) Vide, si placet, praeter fig. 1 superioris fasc. hic fig. 4. Ad praecipuum reliquias solacium alia oblectamenta innocua accedunt, velut pupulae et aves, quibus parvuli delectentur.

Praeterea sollemnem quandam commemorationem R. P. *Adolphus Nederveen* meretur, qui mortuo P. Lemmens ipse se ultro obtulit ad eius ministerium inter leprosos continuandum et iam 23 annos fortitudine admirabili id perficit. Cum a. 1926 valetudinis causa dilectos suos « filios »,




FIG. 4. — R. P. Nederveen cum parvulis leprosis.

leprosos asyli *Majella*, relinquere cogeretur, id vivum ei dolorem attulit, sicut R. P. Kooger, tum praesens, testatur. Anno in patria exacto laetus in Surinamiam revertit et usque ad hodiernum diem leprosorum pater amantissimus est, gaudium circumcirca spargens ac pacem.

Tandem R. P. *Ioannes Kooger*, quem modo commemoravimus, nolit nobis irasci, si et eius hic cum laude brevem mentionem facimus. Ipse enim, iam diu Missioni Surinamensi adscriptus, semper leprosis, quorum confessarius ordinarius est, singularem ostendit amorem, et anno iubilaei 1925 Romam missus, in magna illa expositione Vaticana eorum causam, si ita loqui fas est, strenue defendit. (1) Quodsi confratres hunc longum articulum legentes inde spiritualem aedificationem hauserunt, praecipue Patri Kooger eius rei gratiam debent.

(1) Cf. *Analecta* IV, 159-161.